



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 34. Clementis XI. Pontificis oppositio contra Ernesti Augusti Brunsvico - Luneburgensis Ducis electionem in Osnabrugensem Episcopum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](#)

Sæc. XVIII. vem domus Heber, de punctis Hebræo
 A. C. 1715 rum, Genesin linguae sacræ, trutinam
 religionum præter alia. IX. Nicolaus
 Haus elucubravit disputationem de
 Astrologia judiciaria, Biblia cum notis,
 & alia quædam Ascetica. X. Joannes
 Georgius Roefer vulgavit disputatio-
 nes de obligatione hominis ad se con-
 servandum, de ritibus antiquis Eccle-
 siæ Christianæ in precibus publicis, de
 thronis Ecclesiasticis, de throno Dei,
 de Physica ad Deum manuducente,
 de lege naturali, de officio hominum
 erga seipsum, de officio eorum, qui
 læserunt, & læsi sunt, de æqualitate
 & inæqualitate hominum, de præce-
 ptis Noachitarum, & de officio homi-
 nis erga animam, Institutiones mora-
 les, & alia plura varii argumenti opu-
 scula.

§. XXXIV.

*Clementis XI. Pontificis oppositio con-
 tra Ernesti Augusti Brunsrico-
 Luneburgensis Ducis electionem
 in Osnabrugensem Epi-
 scopum.*

Bull. magn. Clem. XI.
 Part. II. pag. 239.

Postquam Carolus a Lotharingia Os-
 nabrugensis Episcopus anno priori
 e vivis excesserat, Capitulum & Ca-
 nonici

nonici præfixa die ad novi Episcopi electionem processerunt, cumque juxta Pacis Westphali æ pæcta mortuo Episcopo Catholicō ex Acatholicis Luneburgensis familiæ Principibus unus subrogari deberet, cælesti ad hanc electionem S. Spiritus ope sacrilege, ut ajebat Pontifex, invocata, unanimi suffragio Ernestum Augustum Brunsvinco-Luneburgensem Ducem in Episcopum postularunt, moxque illius postulationem solemnī ritū, in SS. Triadis nomine promulgārunt, actis demum Deo gratiis; & decantato Hymno Ambrosianō. Hanc electionem Clemens Pontifex, vestigiis suorum Prædecessorum, qui Faciem Westphalicam saltem protestando enervare nituitur, insistens Germaniæ concordatis, S. Conciliis, Apostolicis Constitutionibus, imo & ipsius Catholicæ Religionis principiis aperte refragari, cunctaque manifeste nulla absque alia declaratione, esse edixit, & Canonicos ad tanti facinoris iniquitatem obtegendam häud caussari posse censuit, sibi & Ecclesiæ ceteroqui impendentium malorum timorem, eoquod in illorum cordibus servere debuisset charitas Christi, quæ foras mittit timorem, & si quid timendum fuisset, unice timere debuissent, ne apud Deum; & homines jure redargui possent Ecclesiæ digni-

L 2

Sæc. XVIII. dignitati, loco, & honori suo, ac debita
A.C. 1716. sacris legibus reverentiae turpiter defuisse.

Eapropter Pontifex die decima septima
 Decembris hujus Ducis electionem ipso
 jure nullam, cunctaque inde secuta &
 secutura omnino irrita fore, & Osnabru-
 gensem Ecclesiam, sicut prius, va-
 cantem declaravit, ac præterea Hiero-
 nymo Tarsensi Archiepiscopo sacra
 Sedis Nuntio injunxit, ut præfato Co-
 pitulo & Canonicis Osnabrugensis Ec-
 clesiæ incunctanter denuntiet, eos pro-
 pterea incidisse in censuras & poenit-
 a Sacris Canonibus, & Apostolicis Con-
 stitutionibus contra talia perpetrantes
 inficias, proin illos serio moneat, ut
 propriæ conscientiæ securitati quam
 primum consulant. Id quidem si fecer-
 int, suoque agnito excessu veræ poe-
 nitentiæ signa ostenderint, Nos, pro-
 sequebatur Pontifex, juxta ejusdem So-
 dis morem, quæ tanquam pia Mater re-
 currentibus post lapsum cum humilitate
 liis se propitiam exhibere solet, & beni-
 gnam, eidem Hieronymo Archiepiscopo &
 Nuntio per ipsas præsentes committimus,
 & mandamus, ut quoscunque ex illis
 qui eadem præmissa peregerunt, vel alias
 in eis quovis modo culpabiles fuerunt, ad
 se recurrentes, ac de præmissis hujusmodi
 dolentes, si hoc ab illo humiliter peti-
 rint, & facta prius per eos declaratione,
 quod

debita
desuiss.
septima
em ipso
cuta &
Osn.
s, va
a Hie
sacra
ato Cr
sis Eo
os pro
pœnas
is Cor
trantes
at, u
quam
si fece
æ pœ
, pro
lem Se
ter r
itate f
s bene
copo &
ttimus
illis
el alias
ent, ad
usmodi
petit
ratione,
quod

quod ipsi præsentibus literis ac omnibus Sæc. XVIII.
 Et singulis, quæ in illis continentur, ple- A. C. 1716.
 na, Et sincera ac debita obedientia, in
 omnibus Et per omnia se submittunt, nec
 non facta itidem promissione, quod in fu-
 turum a similibus abstinebunt, Et quic-
 quid eis ulterius præscriptum aut injun-
 ctum fuerit, priusquam infrascriptæ ab-
 solutionis beneficium obtineant, observa-
 bunt, Et adimplebunt, a censuris Et pœ-
 nis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propterea
 quovis modo incurrerunt, seu incurrisse
 censeri possent, injuncta cuique pro modo
 culpæ pœnitentia salutari, Et aliis, quæ
 de jure fuerint inji. genda, similiter in-
 jundis, in utroque foro auditorate no-
 stra Apostolica absolvat, Et totaliter li-
 beret, dictasque pœnas eis, Et eorum cui-
 libet gratiose remittat, Et cum eis super
 irregularitate per eos, qui a censuris hu-
 jusmodi innodati Missas seu alia Divina
 Officia (non tamen in contemptum Clav-
 ium) forsan celebrarunt, seu alias in
 suis Ordinibus ministrarunt, quomodolibet
 contracta dispensem, ipsosque ad famam,
 gradus, dignitates, necnon beneficia Et
 Officia Ecclesiastica quæcunque reha-
 bilitet, Et plenarie redintegret. Nos
 enim quamcunque necessariam ad hæc fa-
 cultatem eidem Hieronymo Nuntio nostro
 tribuimus, Et impertimur Et.

Sæc. XVIII. Verum Pontifex facilius ex Roma-
A.C. 1716. na specula e longinquo censuras vi-
brare, & ad pœnitentiam calamo hor-
tari poterat, quam Canonici solemnes
& authoritate publica firmatas pacis
leges in Germania impune transgredi.
Postquam igitur hæc Pontificis senten-
tia per Nuntium Pontificium fuit inti-
mata, quidam Canonici, ut sacræ Sedis
obtemperarent, nullique Acatholicis
offensioni essent, a censuris absolvi pe-
tierunt: Præfatus igitur Nuntius hanc
facultatem sibi a Papa concessam de-
mandavit Hyacintho Petit Episcopo
Heliopolitano Ordinis Carmelitarum
Ecclesiæ Osnabrugensis Suffraganeo,
qui duodecim ex præfatis Canoniciis
in genua provolutos anno hujus sæculi
decimo octavo non modo a censuris
pœnisque Ecclesiasticis sigillatim exe-
mit, sed etiam in irregularitate dispen-
savit, eosque ad famam, gradus, di-
gnitates & quæcunque Officia Eccle-
siastica restituit, singulis quoque in
pœnitentiam injunxit, ut decem Im-
periales in pauperes erogaret. Se-
quenti anno alii adhuc duo illius Ec-
clesiæ Canonici eodem modo Ecclesiæ
communioni restituebantur.

§. XXXV.